

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Albertus Willebrandt/ I.U.D.  
... Ad Exequias Quae ... Fratribus Coniunctissimis; Liberis Baronibus de Gera, in  
Eschelbergk/ Lichtenhagen/ Warenburg/ & respective in Temptzin Dominis,  
Simulque Coniugibus Ipsorum Dilectissimis ... Nempe Dn. Joanni Christophoro  
von Gehra/ Et Dnae Annae von Jorghe a Bardwick/ Dn. Wilhelmo von Gehra/ Et  
Dnae Susannae Catharinae von und zu Volckensdorff ... Hodie ... parabuntur,  
Cives omnium Ordinum Academicos, sedulo invitat**

Rostochii: Kilius, 1660

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77744612X>

Druck    Freier  Zugang



Willebrandt, A.,

in J. C. v. Gehra

pp.

Rostock. 1660.

35.







PROGRAMMA  
Quō  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
**ALBERTUS Willebrandt / J. V. D.**  
Cod. Prof., Ducal. Consist: Assessor,  
AD EXEQVIAS

Quae  
ILLUSTRIBUS, GENEROSISSIMIS, PER QVAM  
STRENUIS AC NOBILISSIMIS VIRIS, FRATRIBUS  
CONJUNCTISSIMIS; LIBERIS BARONIBUS  
de GERA, in Eschelbergk/ Lichtenhagen/ Woxenburg/  
& respectivè in Tempzin Dominis,  
SIMUL QVE CONJUGIBUS IPSORUM DILE-  
CTISSIMIS, MATRONIS, STIRPE ANTIQVISSIMA,  
VIRTUTU M QVE SPLENDORE ILLUSTRIS-  
SIMIS, *Nempe*

DN. JOANNI CHRISTOPHORO  
von Gehra /

ET

DNÆ ANNÆ von Torghe à Bardwick /  
DN. WILHELMO von Gehra /

ET

DNÆ SUSANNÆ CATHARINÆ  
von und zu Volkensdorff.

A Reverenda pl. Amplissimaq; Facultate Theologicâ,  
Hodie ad horam I. decentissimè parabuntur,  
*Cives omnium Ordinum Academicos, sedulò invitati.*

ROSTOCHII,

Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typ. 660.



RECTOR  
**ALBERTUS Willebrand/ D.**

**S**ic illi Divinæ ac pusillo intellectu incomprehensibili per placuit Providentia, ut Supremum imperii Academicum munus, mihi invito, hesternâ luce solenniter collatū, hodie à quatuor Perillustriū, generosissimarum, ac Heroicis Virtutibus clarissimarum Personarum (rarò me hercule! hic & alibi exemplō) funerib⁹ auspicer. Quarum ego ex hac deplorandâ miseriarum vallē discessum, nolim importuno luctu ac gemitu, cum ullo mortaliū, quorum mentē verissima fides illustravit prosequi; qui infeliciū temporum horum miseras & humanæ vitæ calamitates atq; molestias deseruerunt; qui corpora corruptibilia, terræ matri, hodiè, ritu Christiano devovenda in terrâ deserentes, in cœleste beatissimarum mētium domicilium evolarunt; quorum si Christianā inspicias mortem, anteactæ laudatissimæ sanctissimæque vitæ maximè consentaneam, eam ita fuisse reperias, ut non dolore sed gaudio, benevolentia & amore, non misericordia aliquā dignissima esse videatur. Et quis obsecro, non beatissimos, non omnibus calculis fortunatissimos hosce censcat, qui mortui sunt in Domino, nec verè mortui

mortui quia eum qui vita est sempiterna secuti sunt, & cum eodem, in quem hic firmiter crediderunt, etiam si jam mortui vivunt; non hanc quidem vitam brevissimis inclusa spaciis, quae initae ut obra evanescit, inquit sumi morem dissipatur; verum vivunt vitam & viternam ac infinitam, quae nec temporum nec felicitatis modo circumscribitur; vivunt coronam decorati immarcessibili, in ipsoque & aeternitatis sinu, inanes intrare sese hominum curas despicientes, jucundissime conquiescunt. Quorum praecellentissimorum ac pientissimorum utriusque sexus hominum corpora, vel satius piissimorum animarum hospitia, antequam tumulo componantur, paucahac in primis de ipsorum praeclarissimo ortu, de Vita laudatissimam ac Virrutibus maximis, ut & de morte gloriosissimam verissimaque dignissimam Christiano, Vos honoratissimi Academiae Cives, & quorum interest, accipere, Aeternam scilicet beatissimamque memoriam ut & generosissimi stemmatis Domini, Dn. JOHANNES CHRISTOPHORUS & Dn. WILHELMUS, fratres, Liberi Barones de Gehra, in Eschelberg & Liechtenhagen/ Waxenburg & respectivè Tempzin Domini, in hanc communem lucem; Dn. scilicet JOHANNES CHRISTOPHORUS A. D. 1592. & Dn. WILHELMUS A.D. 1594. in Arnsfelde/ in Stiria, editi fuerunt. Pater ipsum laudatissimus fuit Illustris & Generosissi-

rofissimus Dn. JOHANNES CHRISTOPHORUS, Liber  
Baro de Gehra, in Arensfelß/Eschelberck/Waxen-  
burg & Mühlendorff Dominus, (utq; alia honestis-  
sima præterea munera) Serenissimi Archiducis  
Austriæ FERDINANDI Consiliarius. Mater eorum  
præclarissima, fuit Illustris & generosissima Ma-  
trona E S T H E R, Domina de Gehra, nata in Stu-  
benburg. Avum paternum habuerunt, Genero-  
sissimum Dn. ERASMUM de Gehra, Augustissimo-  
rum Imperatorum FERDINANDI & MAXIMILIANI  
Cameræ Præsidentem longè gravissimum. Aviam  
autem paternam agnoverunt Generosissimam  
Fœminam Dn. MAGDALENAM, Dominā de Gehra,  
natam à Bethlehemsdorff. Inter verò horum ge-  
nerosissimorum Fratrum Perillustres ac genero-  
sissimas fœminas, castissimasq; thori conjugalis  
Consortes, SUSANNA CATHARINA, Dn. WILHELMII  
uxor A. D. 1603 in Weissenburg; in Arce Archi-  
ducatus Austriæ ad fluvium Ens sitâ, fuerat proge-  
nita. Cujus Pater erat Generosissimus ac Nobis-  
sissimus Dn. Wolff Wilhelm/ Dominus de & in  
Volckensdorff/ Dominus in Weissenburg/Stein/  
& Reichersdorff/ Augustissimi Romani Impera-  
toris Consiliarius, Cameræ ditionisq; Austriacæ  
ad fluvium Ens Præfectus. Mater verò erat gene-  
rosissima Domina CATHARINA, Domina de Vol-  
ckensdorff, nata ex Ducali domo Lichtenstein, &

Nicols.

Nicolsburgf celebratissimā. Avus ejus Paternus  
appellabatur Generosissimus Dominus WILHE-  
LUS de & in Volckensdorff / Dominus in Weissen-  
burgf / Stein / & Reichersdorff. Avia autem  
paterna nominabatur Generosissima ac illustris  
**CATHARINA**, Domina de Volckensdorff / nata  
Domina de Tannenbergf. Quod autem Gene-  
rosissimam Matronam Dn. ANNAM de Jen-  
ge/ Dn. JOHANNIS CHRISTOPHORI de Gehra  
Conjugem attinet ; splendidissimam illa sanè  
& vetustissimam, ab inclitissimo in Brabantia  
de Bardwick / in Bardwick & Spalandt Domi-  
norum stemmate duxit originem. Quanquam  
autem prædicti Generosissimi & Illustres Domi-  
ni, illorumq; Conuges, virtutibus venerandissi-  
mæ, majestatem Ayorum, generisq; celsitudinē,  
non solum in Sacratissimo Romano Imperio Di-  
tionibusq; Austriacis, sed etiam in aliis provinci-  
is celebratissimam adferre potuissent, ad arguen-  
dam propriam in Orbe excellentiam, incitâ ni-  
hilominus virtute, uti proprio decore coruscare,  
plurisque nobilitatem illam, quam sola & unica  
Virtus producit, æstimare voluerunt. Per Sacra-  
tissimum itaq; sacræ regenerationis lavacrum,  
Sanctissimis Ecclesiæ membris inserti, & per ac-  
curatam piiissimamque gloriofissimorum Paren-  
tum educationem ac institutionem, ad omnes  
Virtu-

Virtutes, atque ad suavisimam morum eleganti-  
am proiecti, peculiaribus animi dotibus, morūq;  
amoenitate, quam propaginis privilegiò cla-  
rere maluerunt. Per totum autem suæ vitæ tem-  
pus, ab ipsâ juvenili ætate, intimorem secum co-  
lentes amicitiam, in oris peregrinis, in Universi-  
tatibus Germaniæ, Italiæ, Galliæ, Hollandiæ præ-  
stantissimis, aliisq; locis nobilissimis, cum imor-  
tali nominis sui virtutumq; suarum gloriâ, invi-  
cem, ac in jucundissimô consortiô vixerunt. Ubi  
verò, ad maturiorem hi generosissimi & Illu-  
stres Fratres devenere ætatem; ubi omnia itinera,  
& exterarum regionum peregerunt lustrationes;  
ubi nationum plurimarum instituta, actiones, e-  
ventus, leges politicas, consilia prudentum co-  
gnoverunt; similesq; Themistocli & Alcibiadi,  
(quorum uterq; aliorum ingenii, loco, temporī,  
uti res postulabat sese aptum concinnumq; præ-  
stabat), in Patriam suam reversi fuerunt; suorum  
dilectissimorum cognatorum cōsensu, præcipue  
verò Divinâ illâ, quæ suprà hominum excubat ne-  
gotia Providentiâ, vitæ connubialis socias indoli  
suæ illustri ac Virtuosissimæ respondentes sibi ad-  
sciscere decreverunt. Quapropter dispensante  
Numine, Generosissimus & Illustrissimus JOHAN-  
NES CHRISTOPHORUS, elegit sibi indivulsam thala-  
mi comitem, A.D. 1621, generosissimam Virginem,

ANNAM

ANNA M de Jorghe/ Dominam de Bardewick &c.  
quæ ipsimet, per Divinam benedictionem, eum  
fructū quem socialis thori fidus amore largiri so-  
let, nempè septendecen liberos patrimæ matri-  
mæq; virtutis ac gloriæ æmulos produxit; quo-  
rum aliquos, admodum adolescentulos, aliquos  
paulò ad maturiorem pertingentes ætatem, sà va  
Parcarū rapacitas, properò ictu è numerò viven-  
tium sustulit. Sustulit à. præcipuè, ante annos ali-  
quot, hic Rostochii, cùm ineffabili parentū opti-  
morum mœrore, spem prosapiæ ingentem, certis-  
simumq; decus, filium dilectissimum, insignibus  
animi resplendentem muneribus WOLFGANGUM  
scilicet JACOBUM; qui hic antehac Rostochii tem-  
pus vitæ suæ, virtuti, doctrinæ, moribusq; elegan-  
tissimis impendens, Argentorati tandem, in vige-  
simò tertio ætatis anno, variolis confectus, mor-  
taliūq; cōsortiō exemptus, nihil post se, nisi luctū  
parentum suiq; desiderium reliquit. Quid verò  
Illustris ac generosissimus Dn, WILHELMUS æter-  
nâ laude, memoriaq; dignissimus fecit? DEO sic  
consciente, associavit sibi conjugio puellam,  
nec formæ elegantiâ, nec speciosis animi virtutib⁹  
ulli secundam, SUS ANNAM CATHARINAM, Domi-  
nam de & in Wolckendorff/ cum illâq; A. D. 1628.  
Lintzii in Aulâ Wolckendorffensi Nuptiam  
celebravit festivitatem, Cui præcellentissimæ  
matro-

**M**atronæ, in tam intimâ pectorum concordia, in  
tam mutuo affectu fideq; conjugali, cum suavis-  
simò ac pientissimo WILHELMO viventi, nil planè  
ad plenam felicitatis deerat copiā, nisi quod spem  
generis, sobolemq; patrimæ & matrimæ virtutis  
æmulam, cœli vel potius D E I ipsius providentia  
denegaverit; [qui viam per quam mortalium ge-  
nus in hunc ingreditur orbem, pro arbitrio nunc  
claudit, nunc reserat,] & quod in hac ipsâ tantis  
pectoris ingeniiq; bônis ditatâ Matronâ, ut & in  
ipsiusmet Sorore MARIA MAXIMILIANA Domina  
de Thraun, antiquissimum illud & famigerabile  
Volckensdorffianæ Familiæ genus, juxta ipsius  
Salvatoris editum, finem suum ac terminum sor-  
titum fuerit. Importunus verò sim, si prolixiore  
elogio nunquā sinè honore nominandorum Ge-  
nerosissimorum Dominorum horum Baronum,  
eorumque fidelissimiarum thoriconjugalis socia-  
rum afflictiones ac calamitates celebrare allabo-  
rem; quas illi ob religionem Lutheranam alaci-  
mente & infractâ tolerarunt; qui singulari con-  
stantiæ exemplô, quam primum religionis refor-  
matio, ab Imperatore Romano in superiori Au-  
striâ indicta fuerat, maluerunt sua prædia, feuda,  
fratres, agnatos, amicos deserere, quam à Religio-  
nis Augustana Confessione, vel ad minimum un-  
guem secedere; maluerunt, voluntarium, quan-

**I**LLIUS

B

quam

quam acerbissimū , in variis locis , Hamburgi , de-  
nique hic Rostochii perpeti Exilium , quam inter  
patrios lares , cum conscientiæ ac Religionis dis-  
pendio , quanquam inter tot opum aliarumque  
voluptatum illecebras permanere ; quod non ob  
aliam causam , hæ illustres ac generosissimæ per-  
sonæ , [quasq; vix inter cētū mortales unus æmu-  
latur] fecerunt , quam ob amorem Religionis illi-  
us , quam veritatis ille Philosophus ingeniorum-  
que Phœnix & Theologorum Princeps LUTHE-  
RUS illustravit , quamq; illæ , non in ore ut pleri-  
q; hodie , sed in ipso sanctissimo pectore soverūt .  
Cujus solius amore ardentissimo , hæ illustres u-  
triusque sexus personæ inflammatae , dum alii vel  
otium forte agebant , vel libidine dissiduebant , vel  
aliis occupabantur vanitatibus , laticem sacra-  
rum literarum frequenter degustabant , harumq;  
lectione sicutentes pascebant ac confortabant ani-  
mulas ; præter hæc , Conciones Sacras nunquā si-  
ne gravissimâ causâ intermisserunt , sœpissimè ve-  
rò devotissimâ confessione peccata sua expian-  
tes , sacratissimum ac preciosissimum C H R I S T I  
J E S U corpus & sanguinem pro certissimo ac in-  
fallibili animæ suæ , inter tot sinisteroris fortunæ  
imetus solatiō , & in luculentam veræ ac genui-  
næ religionis tesseram sumserunt ; Denique non  
absque fastus , luxus , aliorumque enormium vi-  
tiorum

msup

tiorum; (quibus è religioso pectore modestia &  
mansuetudo profligatur) extremò odio, amo-  
rem religionis non sicutæ, summâ in egenos,  
præcipue verò in viros doctissimos, ac Theolo-  
gos cordatiores, ut & in ædes DEO sacras liberali-  
tate declarare, (ubicunq; se offerebat, occasio )  
nō intermisserunt. Et inter has illustres immorta-  
lesque gloriam promeritas personas, in Gene-  
rosissimo DN. WILHELMO exemplum me  
hercule! insolens, quodquè & præsens & sequu-  
tura deprædicabit ætas, habemus. Qui uti ulti-  
mus ex consortio secedens mortaliū, ex singula-  
ritatismoque hoc seculò affectu, Venerandam  
in hac Universitate, Facultatem Theologicam,,  
hæredem suorum bonorum, per publicum Te-  
stamentum instituit. Quod illa beneficium, quem  
amorem, dum vivet & florebit, singulari quoque  
gratitudine, devotissimâque recordatione prose-  
quetur; neque eorum ingratorum augebit mor-  
talium numerum, in quorum manibus aliena be-  
neficia obsolescere mox atque perire consueve-  
runt. Ut autem ad Generosissimum Dominum  
**JOHANNEM CHRISTOPHORUM de GEH-**  
**RÄ** ut in natu majorem redeam; ille per aliquot an-  
nos cum magnâ virium imbecillitate, atque hæ-  
moroidum vehementiâ conflictatus, Divinæ  
autem

autem clementiæ ardentibus populi plebisque  
precibus, roties (uti notum) commendatus, cum  
insigni ac stupendâ patientiâ, morbum illum  
atrocissimum sustinuit, & dum Anno D. 1654.  
mense Aprili inter ipsum & amantissimam ejus  
Conjugem implacabilis mors divortium fecisset  
& de latere ejus illud animæ suæ dimidium, illam  
carissimam & piissimam Uxorem avulsisset, qua  
e manibus Viri Reverendi, Clarissimi DN. M.  
ENOCHI SWANTENII, Verbi DEI ad Ædem  
D. Jacobi ministri vigilantissimi, sanctissimam  
Synaxi sumens, placidissimè in Domino obdor-  
mivit, tam ingenti licet calamitati, animo fortis-  
simò non cessit, atrocemque illum procacis for-  
tis insultum masculo pectori excipiens, in tristi-  
viduitate, reliquum vitæ tempus consumit.  
Dum verò illò ipsò anno jaeturam ingentem pri-  
stinæ membrorum firmitatis sentiret, nullaq; am-  
plius Medicorum pharmaca, licet fidelissimè &  
prudentissimè suppeditata prodesse animadver-  
teret, ad semetiplum, præfatum Reverendum,  
Clarissimumque Virum, DN. M. ENOCHUM  
SWANTENIUM, cum ad propriam, quam Ro-  
stockii incoluit domum, cum ad feudum Rüsse-  
witz advocari curavit; ubi ille aliquoties pro suo  
sancto officiò, eidem sacram præbuit Eucharisti-  
am; ubi

am; ubi è codice Divinô de promptis solatiis, angustiam pectoris illius solari, & vel ipsâ nocte, inter tot animæ conflictus, pia ac religiosa exhibere obsequia, illimet ipsi non destitit; Quicquidem, eo ipso Anno 1654. die 2. Novembris, quasi placidissimo sopitus somno, in illam sempiternam domum triumphans evolavit. At quid jam de Generosissimo ac Illustri DN. WILHELMO, Domino de Gehra, de Heroe hoc, cuius virtutes, cuius in doctos benevolentia, in egenos liberalitas, in venerandam hujus Academiæ Facultatem munificentia æternitati consecrata in posterorum recordatione florebit, quid inquam proferam? Ille piissimam semper traduxit vitam. Et quandò DEUS Optimus Maximus A. D. 1652. d. 16. Jul. ejus dulcissimam consortem præviâ sincerissimâ peccatorum confessione ac absolutione, præmissaque pretiosissimâ ac salutari Corporis ac crucifixi JESU cœnâ, è cœtu mortali-  
um, in feudo Tempzin nuncupatō exemerat, ipseque piissimè detunctus Generosissimus DN. WILHELMUS, in vitæ solitariæ conditionem redactus fuerat, post tot fortunæ adversæ ictus atque insultus, tandem in sumam prolapsus fuit infirmitatem, & juxta suam antiquam ac inviolabilem consuetudinem, inæstimabile corporis  
-3191-  
& san-

& sanguinis C H R I S T I J E S U sapientius percipiens  
Sacramentū; tandem illud ipsum, sex in primis, antē  
ultimum vitæ obitum septimanis, postmodum  
verò, ipso tempore vespertinō, quò hanc morta-  
litarē obsignare debebat, cum magnâ pietate  
repetens, suaq; peccata amatissimè defens, in  
plena spē & fiduciā meritorum J E S U C H R I S T I,  
animam probissimā & verè cœlestem, A. D. 1658.  
die 10. Maji expiravit; postquam beatissimus hic  
& æterni amoris ac memoriæ Baro 64. annos vi-  
vendo absolvisset.


Quia verò Cives Universitatis honoratissimi,  
harum Illustrium ac Generosissimarum Personarum  
Celsissimam Originem, vitā præclarissimam,  
mortemq; laudatissimam percepisti. Nihil jam  
aliud restat, quam quod seposito mœtore, omissis  
lachrymis id solum videamus, ut omnium horū  
piissimè defunctorum nomen laudibus nostris  
celebratum, æternum immortaleq;, faciamus, &  
divinarum tantarum virtutum imaginem, non  
statuis tantum aut picturis, sed imitatione quoq;  
ac opere declaremus. Nil aliud restat, quam ut  
ipsis animitus gratulemur, quod post tot mundi  
hujus calamitates, sempiterno ævo, in infinitam  
æternitatem perfruantur; quod pro paucis illis  
facultatibus, quas hic amore C H R I S T I J E S U  
spre-

spreverunt cœlum universum, prô terrenis bonis  
cœlestia, prô temporalibus sempiterna, pro tran-  
sitoriis permanentia, pro se ipsis, D E U M ipsum  
possideant. Nil aliud restat quam ut has illustres ac  
generosissimas personas ad sepulchrum, illorum  
exhaustis corpusculis [in quibus tam magni tam  
pii animi, tanquam hospites præstantissimi in an-  
gustis domiciliis commorati fuerunt] destinatū,  
decentissimè comitemur, & cum ipsis nullâ aliâ  
in his terris ratione, ipsorum ergâ Nos favores, be-  
neficiaq; redhostire queamus, funeris eorū hone-  
stissimi decorandi gratiâ, sumô studio, magnâque  
frequentiâ conveniamus. Facite id Honoratis-  
simi [per amanter rogamus] Academiæ Cives, in  
honorem tantarum Prosapiarum; in ornamen-  
tum tantarum Virtutum rerumq; ab illis præcla-  
rissimè gestarum, quas nulla unquam ætas conti-  
cesceret. Facite pro ipsâ pietate Christianâ, quâ uti  
flores ex Christianâ nobilitate delecti, uti Eccle-  
siæ acrei publicæ literariæ præsentia vel futura fir-  
mamenta ac propugnacula, præ cæteris pluribus  
mortaliib' excellere debetis. Et hasce nobilissimas  
eundo Exequias, memores estote propriæ fragili-  
tatis. Cogitate & vestrum omnium cervici mor-  
tem truculentam adstare, qui eundem, cum piis-  
simè denatis, serpentem alitis. Et reversi domum,  
nuncia-

nunciate liberis, amicisque vestris, nunquam, ne-  
què ipsos, nequè ipsorum liberos, ac nepotes, quo-  
rumquā majorum, aut omni ex parte præstanti-  
orum BARONUM, & quidem tot, unā vice una-  
que horā Exequias esse viſuros. P. P. Rostochii  
sub Sigillo Rectoratus, die IV. Maii, Anno Salva-  
toris nostri, è purissimā ac sanctissimā Vir-  
gine progeniti 1660.

Convenient Academiæ Cives in Templo

D. Jacobo sacro ad horam I.



Honor











Ua procul à Patriâ, no  
CHRIS

Deposit terris, molli

HERMANNUS

Colleg. Theo

Illustres Cineres & debita nomina co  
GERALDUM hac Pietas Conder  
Cætera dant superi; magnumq; in secu  
Cujs Principium Balthica SUSAN  
Tu, lector, noli hic tantis Heroibus  
Pompam, nec titulis querere faxa  
Namq; hinc Fortunas pulsi sprevere  
Omnia quod Mundi ludibrium ess

CASPARUS

P. P. & sup

IN latum pasim dum sese Vesta V  
Induit, & vario flore superba  
Illustres aliquot tristi marcore Baro  
Extinctos ehen! nostra recondit ha  
Sed quoq; tempus erit, cum graminis  
Instar, celestes deûnde petentq; dom  
Quinimò in CHRISTO quisquis sua  
In vita aeterna limine victor ovat.

DANIEL LAGUS



the scale towards document



esso

bent!

VD!

o.

C.D.

nt

edit,

. D.

uos